Observationes criticae in Platonis Cratylum.

Paucos scriptores Graecos tam emendatos quam Platonem hodie legimus. exstant enim ad contextum huius scriptoris recensendum cum permulti tum et vetustate et bonitate vel maxime commendati libri manu scripti, inter quos Clarkianum vel Bodleianum (B), scriptum illum quidem anno octingentesimo nonagesimo sexto p. Chr. n., Parisiensem primum (A), quem Bekkerus (Comment. crit. in Plat. 1. p. IX) omnes etiam altioris vetustatis notas habere testatur, Coislinianum (Γ) et Vaticanum (Δ) primas tenere inter homines doctos constat. accedit quod Ficinus, quae fuit singularis huius viri sagacitas et philosophiae Platonicae intelligentia, interpretatione sua latina haud raro quid sit statuendum in locis dubiis monstrat. quibus quidem copiis etsi J. Bekkerus et qui post hunc Platonem ediderunt, G. Stallbaumium dico et Turicenses et C. Fr. Hermannum, ingeniose atque subtiliter usi sunt, tamen multi restant loci corrupti, quos critica coniecturali, quam vocant, ita adhibita, ut singula quaeque, et verba et enuntiationes et sententiarum ordinem penitus perspecta habeas, mendis purges.

Non fuit autem eadem omnium dialogorum sors: aliis enim et iis quidem imprimis, qui in scholis legi solent, identidem et interpretum et editorum curae obtigerunt, aliis non obligerunt. Atque Cratyli quidem textum, quem dicunt, multifariam depravatum, qui emendare studerent, perpauci quod sciam post editores, quos nominavi, reperti sunt; quamquam quaestio, quodnam sit huius dialogi argumentum atque consilium, ex quo veteris philosophiae studium Fr. Schleiermachero et Chr. Brandisio facem praeferentibus renovari coeptum est, mirum quot hominum doctissimorum diligentiam atque acumen exercuit. Quare, si in aliquot Cratyli locos temporum iniuria corruptos coniectura emendandos operam meam, quoad eius facere possum, insumpsero, vix erit, qui me cramben repetiisse iudicet.

Doleo autem, quod mihi copiosa librorum qui sunt de Platonis dialogis supellectile carendum est, qua qui utuntur cum facilius ab erroribus revocantur tum fructuosius in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eiusmodi quaestionibus studia sua collocant; verum enimvero gymnasii nuper demum aperti bibliothecam non statim ab initio magna omnis generis librorum copia abundare, sed iis praecipue qui ad scholae usum maxime sunt necessarii instructam esse par atque aequum est.

389 D.

Ἆρ' οὖν, ὦ βέλτιστε, καὶ τὸ ἑκάστῳ φύσει πεφυκὸς ὄνομα τὸν νομοθέτην ἐκεῖνον εἰς τοὺς φθόγγους καὶ τὰς συλλαβὰς δεῖ ἐπίστασθαι τιθέναι καὶ βλέποντα πρὸς αὐτὸ ἐκεῖνο, οὗ ἔστιν ὄνομα.

Quaeritur, utrum *ἐκεῖνο οὗ*, quaemadmodum in codice Coisliniano a prima manu atque in nonnullis deterioris notae codicibus legitur, cum Stephano et Stallbaumio scribendum sit, an cum Bekkero et Hermanno *ἐκεῖνο ὅ*, quod ceteri iique optimi codices Clarkianus Parisiensis Vaticanus habent.

Socrates hoc loco 387 D — 390 E non cuiuslibet suum cuique rei nomen imponere, sed solius legis latoris esse docet. fingere autem legis latorem nomina eadem ratione qua radium fabrum lignarium, terebram fabrum aerarium: spectare scilicet utrumque atque animo depingere rerum fingendarum speciem, ideam (*βλέπειν πρὸς τὸ εἶδος* 389 A. *αὐτὸ ὅ ἔστι κερκίς* 389 B). ut faber lignarius sive apud Graecos sive apud barbaros etsi non eodem ferro, sed tamen secundum eandem ideam instrumenta conficiat, sic legis latorem, qui apud Platonem nominum rebus imponendorum munere fungitur (389 A), sive Graecus sive barbarus sit, recte nomina formare, dummodo nominis ideam propriam syllabis effingat, *ἕως ἂν τὸ τοῦ ὀνόματος εἶδος ἀποδιδῷ* (390 A). itaque dubium esse nequit, quin scribendum sit *βλέποντα πρὸς ἐκεῖνο ὅ ἔστιν ὄνομα.*

389 D.

. . . εἰ δὲ μὴ εἰς τὰς αὐτὰς συλλαβὰς ἕκαστος ὁ νομοθέτης τίθησιν, οὐδὲν δεῖ τοῦτο ἀγνοεῖν· οὐδὲ γὰρ . . . sic Bekkerus consentientibus omnibus ad unum codicibus scripsit. Nec quicquam causae est, cur offendas in *ἀγνοεῖν* verbo, quod non ignorare hoc loco significat, sed errare, in errorem induci. recte igitur Schleiermacherus interpretatur: wenn aber nicht jeder solche Gesetzgeber das Wort in dieselben Silben niederlegt, das muss uns nicht irren. Denn auch nicht . . . sic etiam illud *τοῦτο*, quae est huius pronominis vis et natura, ad ea, quae praecedunt, refertur. Quae cum ita sint, Heindorfium pro *ἀγνοεῖν* inutiliter conicere *θαυμάζειν* vel *ἐννοεῖν* vel *οὐδὲν δὲ τοῦτο ἄτοπον*, Buttmannum *ἀγανακτεῖν*, Astium *ἀπορεῖν* apparet. Stallbaumius vero contra grammaticae leges *τοῦτο* pronomen ad ea, quae sequuntur, refert, quo eodem errore etiam Müllerus ducitur, quippe qui vertat: so darf man durchaus Folgendes nicht übersehen.

393 A.

Ὅτι μοι δοκεῖ καὶ τοῦτο παραπλήσιόν τι εἶναι (scil. nomen Hectoris) *τῷ Ἀστυάνακτι, καὶ ἔοικεν Ἑλληνικοῖς ταῦτα τὰ ὀνόματα. Ὁ γὰρ ἄναξ καὶ ὁ ἕκτωρ σχεδόν τι ταὐτὸν σημαίνει,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

βασιλικὰ ἀμφότερα εἶναι τὰ ὀνόματα. sic codices plerique omnes, quos etiam Bekkerus sequitur, locum exhibent. Stallbaumius vero et Hermannus extrema verba, *βασιλικὰ ἀμφότερα εἶναι τὰ ὀνόματα,* cum nullo omnino vinculo grammatico cum prioribus cohaereant, glossema esse rati secludunt. at vereor, ut haec satis idonea verborum expungendorum causa sit. neque profecto, quod Hectoris et Astyanactis nomina regia esse hic perhibentur, glossatoris ieiunitatem atque inopiam redolet. quapropter haud scio an Buttmannus et Heindorfius, cum illa verba, *εἶναι* infinitivo tamen, qui sane non habet unde pendeat, ab altero deleto, ab altero in *ὄντα* participium mutato, servarent, cautius et circumspectius egerint. equidem Heindorfii rationem secutus *ὄντα* participium abesse posse negaverim. verum ne sic quidem sententia omni vacare vitio videtur, quoniam *γάρ* coniunctio causalis non, quae vulgaris huius particulae vis est, enuntiati proxime antecedentis — *ἔοικεν Ἑλληνικοῖς ταῦτα τὰ ὀνόματα* — rationem reddit. quid? si *ὁ γὰρ ἄναξ* — *τὰ ὀνόματα* verba, quae in codice Veneto Σ omittuntur, in margine archetypi scripta fuisse et postmodum a librariis alieno loco collocata esse fingas. hac ratione etiam facile apparet *ὀνόματα* vocabulum putide repetitum secundo loco expungendum esse. Quid multa? scribendum esse existimo: *Ὅτι μοι δοκεῖ τοῦτο παραπλήσιόν τι εἶναι τῷ Ἀστυάνακτι, καὶ ἔοικεν Ἑλληνικοῖς ταῦτα τὰ ὀνόματα, βασιλικὰ ἀμφότερα ὄντα· ὁ γὰρ ἄναξ καὶ ὁ ἕκτωρ σχεδόν τι ταὐτὸν σημαίνει· οὐ γὰρ ἄν τις ἄναξ ᾖ, καὶ ἕκτωρ δήπου ἐστὶ τούτου . . .*

393 B.

Οὔ τι λέγω (scil. *ἵππον*), *ἐὰν ὥσπερ τέρας γένηται ἐξ ἵππου ἄλλο τι ἢ ἵππος, ἀλλὰ ὃ ἂν ᾖ τοῦ γένους ἔκγονον τὴν φύσιν, τοῦτο λέγω.* plerique omnes eique optimi codices *ἀλλὰ οὗ ἂν ᾖ* praebent. neque codicum auctoritatem a Bekkero Stallbaumio aliis iure meritoque spretam esse crediderim, quia dura nec satis expedita *τοῦ γένους* genetivi ab *ὃ* pronomine pendentis ratio est. codicum vero eademque Hermanni *οὗ ἂν ᾖ τοῦ γένους ἔκγονον κατὰ φύσιν* scriptura, quam Ficinus quoque refert, cum vertat: cuius generis secundum naturam est, quod nascitur, hoc dico, propterea displicet, quod *τοῦ* articulus putide abundat. quam offensionem ut vitemus, lenissima ac paene nulla mutatione facta scribendum propono: *οὗ ἂν ᾖ του γένους* cuiscunque generis est (*οὔτινος* sive *ὅτου γένους*). sententia certe multum abest ut hac ratione obscuretur vel confundatur. *ὅστις* autem pronominis compositi partes etiam seiunctas aliquando legi, etsi ab usu vulgari remotum est, constat; quamquam Augustus Matthiae (Gramm. Graec. edit. II. §. 483 p. 906) unum dumtaxat huius usus exemplum ex Lysia Or. 20, 31 sumptum *ὃς ἄν τις ὑμᾶς εὖ ποιῇ,* pro quo recentiores editores *ὅταν τις* vel *ὅσ' ἄν τις* vel *ὅσα ἄν τις* invitis libris praeferunt, adfert. sed non dubium est, quin apud Thucydidem IV,14 legendum sit: *καὶ ἐν τούτῳ κεκωλῦσθαι ἐδόκει ἕκαστος ᾧ μή τινι καὶ αὐτὸς ἔργῳ παρῆν.* nec minus constat omnibus videlicet codicibus consentientibus apud Platonem Legg. 864 E. recte legi: *τὴν μὲν βλάβην ἣν ἄν τινα καταβλάψῃ πάντως ἁπλῆν ἀποτινέτω.* itemque C. G. Kruegerus (Griech. Sprachlehre 54,15,1) *ὃς ἄν τις* pronomen hypotheticum nonnunquam reperiri commemorat

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

393 C.

Sententiam, quam modo tractavimus, Socrates hisce exemplis illustrare pergit. si equus contra naturam pariat vitulum, vitulum fetum procreatum esse nominandum, non equum. iam alterum sequitur exemplum: *οὐδ' ἂν ἐξ ἀνθρώπου, οἶμαι, μὴ τὸ ἀνθρώπου ἔκγονον γένηται, ἀλλ' ἐὰν τὸ ἔκγονον, ἄνθρωπος κλητέος.* quid sibi velit illud *ἀλλ' ἐὰν τὸ ἔκγονον*, quamvis ex sermonis perpetuitate facile admodum et apertum ad intelligendum sit, ex constructione verborum nullo modo apparet. ac Bekkerus quidem et Hermannus duorum tantum codicum *Γ* G auctoritatem secuti *ἀλλ' ἐὰν τὸ ἔκγονον* scripserunt. reliquorum enim librorum altera pars 𝔄*ΛΞΠΣΥ*lm *ἀλλ' ὃ ἐὰν*, altera *Λ*BCEFHIX *ἄλλο ἐὰν*, Stephaniana denique editio *ἄλλο δὲ* habet. quarum lectionum discrepantium cum nulla sententiae satisfaciat, haud scio an scribendum sit *ἀλλ' ἄλλο τι ἔκγονον*, ut haec Socratis sententia evadat: neque si ex homine non humanus sed alius quidam (scil. portentosus) fetus nascatur, eum hominem esse vocandum. Ficinus quoque libris manu scriptis manifesto diffisus non verbum e verbo sed paulo licentius sententiam exprimit, cum vertat: neque enim si ex homine alia proles quam humana producitur, quod nascitur homo vocari debet.

Stallbaumius vero, ut lectionem vulgatam defendat, sic vertit: sed si fetus naturalis suscipiatur, atque, cum hanc interpretationem explicatione egere sentiat, haec addit: nam *ἀλλ' ἐὰν τὸ ἔκγονον* breviter dictum puto pro *ἀλλ' ἐὰν τὸ φύσει ἔκγονον.* at quis, quaeso, Platonem adeo breviloquentem esse credat eo ipso loco, quo portentosum et naturalem fetum dedita opera identidem distinguit?

395 A.

Explicat Socrates, cur Agamemnonis nomen recte se habeat. atque priusquam concluditur *ὅτι οὖν ἀγαστὸς κατὰ τὴν ἐπιμονὴν οὗτος ὁ ἀνήρ, ἐνσημαίνει τὸ ὄνομα ὁ Ἀγαμέμνων*, haec leguntur verba: *σημεῖον δ' αὐτοῦ ἡ ἐν Τροίᾳ μονὴ τοῦ πλήθους τε καὶ καρτερίας.* sic libri omnes locum exhibent, nisi quod Venetus *Ξ* habet *καρτερία.* editores cum in *καρτερίας* genetivo iure offenderent, alii aliter loco depravato mederi conati sunt. ac Stephanus quidem, manifesto secutus Ficinum sic vertentem: argumentum vero tolerantiae suae apud Troiam tanto cum exercitu perduratio praebuit ita scribit: *σημεῖον δ' αὐτῷ τῆς καρτερίας ἡ ἐν τροίᾳ μονὴ μετὰ τόσου πλήθους.* Quae scriptura quamvis a libris mirum quantum recedat, etiam Heindorfio probatur, praeterquam quod *αὐτοῦ* pro *αὐτῷ* et *τοσούτου* pro *τόσου* legit. Stallbaumius denique leniore adhibita medicina corrigendum censet *τοῦ πλήθους μετὰ καρτερίας.* at quid tandem obstat, quominus praeeunte Hermanno eam scripturam, quae cum in codice *Ξ* exstat tum ad ceterorum librorum lectionem proxime accedit, servemus? quodsi igitur scribis *ἡ ἐν Τροίᾳ μονὴ τοῦ πλήθους τε καὶ καρτερία*, planam hanc et apertam ad intelligendum assequeris sententiam: recte se Agamemnonis nomen habere, quod eo potissimum auctore Graecorum exercitus Troiae manserit et in bello perseveraverit. accedit, quod *μονή τε*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

καὶ καρτερία substantiva διαπονεῖσθαι καὶ καρτερεῖν verbis proxime praecedentibus aptissime respondent.

395 E.

Tantalum nomen suum a multis magnisque malis, in quae et vivus et mortuus inciderit, traxisse Socrates tradit; usitatam enim ac vulgarem huius nominis formam — Τάνταλος — obtinuisse et permansisse pro iusta ac propria forma ταλάντατος, quod quidem vocabulum scholiasta eandem vim atque ἀτυχέστατος habere docet. quibus de Tantali nomine expositis Socrates haec adiungit:

. . . τοιοῦτόν τι καὶ τούτῳ τὸ ὄνομα ἔοικεν ἐκπορίσαι ἡ τύχη τῆς φήμης.

Sic Bekkerus, Hermannus alii meliorum librorum ΑΛΛΞΠΣΥG auctoritati obsecuti scribunt, Stephani ceterorumque codicum scriptura καὶ τοῦτο iure meritoque reiecta, quoniam Tantali nominis notatio cum aliorum nominum explicatione comparatur. at quid sibi vult ἡ τύχη τῆς φήμης? Ficinum quidem, cuius haec est interpretatio: tale utique nomen fortuna eius adversa ipso rumore gentium praebuisse videtur, cum in illis verbis offenderet, non ad fidem verborum traditorum, sed, ut solet in locis suspectis, paulo licentius vertisse, quis est quin videat? Boissonadius autem, cum scribendum esse ἡ τύχη τῇ φήμῃ proponeret, haud scio an temere Ficini interpretationem secutus sit. Stallbaumius, qui cum Heindorfio verba, de quibus quaerimus, cum eis, quae proxime antecedunt, coniungit, sic sententiam explicat: quod fecerit aliquis consulto, qui vocabulum ταλάντατος obscurare et obtegere velit, ut pro eo dicat τάνταλον, idem famam fecisse fortuito. nam ἡ τύχη τῆς φήμης est forsquaedam famae. verum etiamsi fabulas antiquitus traditas tempore procedente amplificari atque exornari satis constat, tamen itidem casu et fortuito fieri potuisse, ut Tantalus nomen suum acciperet, ex Platonis sententia negandum esse existimo. namque hac potissimum dialogi parte Socrates contra Hermogenem disputans id agit, ut nomina non pro libidine (ξυνθήκῃ, ὁμολογίᾳ) sed naturae convenienter conficta esse comprobet. longe aliam explicandi viam Muellerus ingressus est, qui in adnotatione ad translationem suam p. 671. scripta ἡ τύχη τῆς φήμης verba idem valere censet atque ἡ τύχη αὐτοῦ (scil. Tantali) οἵαν αὐτὴν δηλοῖ ἡ φήμη. at vereor, ut sub Graecis verbis ἡ τύχη τῆς φήμης illa, quam Muellerus vult, sententia spissa quodammodo et uber usquam subiecta esse possit; quamquam a Germanico sermone eiusmodi breviloquentiam nequaquam abhorrere non ignoro. in eo autem Muellero prorsus adsentior, quod τύχην adversam Tantali fortunam significare putat. neque aliter Excerpta ex Procli scholiis in Cratylum Platonis edita a Fr. Boissonadio (Lipsiae 1820) τύχην interpretantur, quippe quae ϛγ' p. 51 ad Platonis verba, de quibus quaerimus, haec habent: Ὅτι τὸ μὲν ἀποκληρωθῆναι τῷ τοιῷδε βίῳ τὸ τοιοῦτον ὄνομα, τῆς τύχης ἔργον, τὸ δὲ κρατῆσαι τοῦτο παρὰ πᾶσιν, τῆς φήμης. Proclus igitur non unam notionem, quae est ἡ τύχη τῆς φήμης, sed duas seorsum ponit, quarum altera, ἡ τύχη, Tantali nominis originem, altera, ἡ φήμη, hoc idem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nomen ubique locorum increbuisse declarat. quas quidem duas res in recta nominum ratione spectandas esse Plato ipse paulo ante (394 E) monuerat, ubi Socratem de Orestis nomine sic disputantem facit: *ὥσπερ γε καὶ Ὀρέστης . . κινδυνεύει ὀρθῶς ἔχειν, εἴτε τις τύχῃ ἔθετο αὐτῷ τὸ ὄνομα εἴτε καὶ ποιητής τις.* itaque non dubito, quin lenissima verborum quae exstant in codicibus mutatione facta scribendum sit: *τοιοῦτόν τι καὶ τούτῳ τὸ ὄνομα ἔοικεν ἐκπορίσαι ἡ τύχη ἤ τις φήμη.*

398 D.

Heroum nominis originem ut explicet, Socrates his verbis utitur: *πάντες* (scil. *οἱ ἥρωες*) *δήπου γεγόνασιν ἐρασθέντος ἢ θεοῦ θνητῆς ἢ θνητοῦ θεᾶς. ἐὰν οὖν σκοπῇς καὶ τοῦτο κατὰ τὴν Ἀττικὴν τὴν παλαιὰν φωνήν, μᾶλλον εἴσει· δηλώσει γάρ σοι, ὅτι παρὰ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα, ὅθεν γεγόνασιν οἱ ἥρωες, σμικρὸν παρηγμένον ἐστὶν ὀνόματος χάριν.* etsi quorsum pertineat hoc loco prisca Atticorum dialectus, nondum illustratum sit, tamen *ἥρως* nominis originem ab *ἔρως* vocabulo paululum mutato duci adparet. at quaeritur, quae vis sub *ὀνόματος χάριν* verbis subiecta sit. Heindorfius quidem interpretatur ut iustum exiret nomen, proinde quasi *Ἔρως* non sit iustum nomen. atque C. Fr. Hermannus cum *ὀνόματος χάριν* omnino explicationem habere neget, *αἰνίγματος χάριν* scribit, ad quam coniecturam defendendam: malui, inquit, quamvis audaci mutatione id restituere, quod Plato identidem (p. 395 E et 404 C) nominum fictoribus propositum fuisse significat, ut levi inflexione originem occulerent, poetarum iustar, qui itidem passim *αἰνίττεσθαι* vel *αἰνιγματωδῶς λέγειν* dicuntur. quae scriptura ingeniose sane excogitata et ad Platonis de sermonis origine doctrinam egregie conveniens quominus mihi probetur, id tantum obstat, quod parum aenigmatis vel obscuritatis in eo, quo de agitur, veriloquio inest. immo vero Plato eam *ἔρως* et *ἥρως* nominum non idem declarantium convenientiam et consonantiam significare videtur, ut *ὁμώνυμα* vocari possint. quod ut credam, etiam eis adducor, quae Proclus ad hunc Cratyli locum adfert *ρυή* p. 74: *οἱ μῦθοι οὖν διὰ τῆς ὁμωνυμίας καὶ τὰ πράγματα συγκαλύπτουσι· τὰ γὰρ τοιαῦτα πνεύματα ὁμώνυμά εἰσιν τοῖς τῆς ἑαυτῶν σειρᾶς ἀρχικοῖς αἰτίοις θεοῖς. διό φασιν ἢ θεοὶ* (lege *θεοὺς*) *θνηταῖς ἢ θνητοὺς θεαῖς συμμιγῆναι κ. τ. λ.*

Itaque pro eo quod codices habent *ὀνόματος χάριν* scribendum esse existimo *ὁμωνυμίας χάριν*. homonyma autem *ἔρως* et *ἥρως* nomina dici, nemini erit offensioni, qui reputet, quam parum Plato in hoc dialogo spiritus asperi et lenis itidemque vocalium longarum et brevium commutationem curet. quin etiam ipse p. 399 A: *πρῶτον μὲν γάρ,* inquit, *τὸ τοιόνδε δεῖ ἐννοῆσαι περὶ ὀνομάτων, ὅτι πολλάκις ἐπεμβάλλομεν γράμματα, τὰ δ' ἐξαιροῦμεν, παρ' ὃ βουλόμεθα ὀνομάζοντες, καὶ τὰς ὀξύτητας μεταβάλλομεν.*

At dixerit fortasse quispiam *ὁμωνυμία* nomen substantivum teste Astii lexico Platonico in Platonis libris nondum legi. ad hanc autem dubitationem infirmandam vel diluendam duo sunt, quae iure afferre posse mihi videor. ac primum quidem cum *ὁμώνυμος* adiectivum apud eundem saepenumero reperiatur, profecto proximum est vero etiam substantivum ei cognitum fuisse, praesertim cum iam Aristoteles *ὁμωνυμίας* et *συνωνυμίας* notiones

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tamquam pervulgatas suum in usum convertat earumque ambitum more suo accuratius quam in vulgari sermone factum esse consentaneum est, describat (cf. Bonitz, Comment. in Metaph. p. 90 et Trendelenburg, Platonis de ideis et numeris doctr. p. 33). deinde vero etiam non est, quod dubites, quin C. Fr. Hermannus optimorum codicum ΑΛΠG et a prima manu ΣΥ auctoritati obsecutus in nostro dialogo p. 397 B pro eo, quod priores editiones habebant *πολλὰ μὲν γὰρ αὐτῶν* (loquitur de heroum et hominum nominibus) *κεῖται κατὰ προγόνων ἐπωνυμίας* recte restituerit *κατὰ προγόνων ὁμωνυμίας*.

405 D.

Apollinem cum omnium et humanarum et divinarum rerum concordem efficiat et congruentem concentum, nomen suum ab *ὁμοπολῶν* participio trahere philosophus p. 405 D docet. factum enim esse *Ἀπόλλων* nomen ex *ὁμοπολῶν* ea ratione, primum ut pro *ὁμο* copulativum quod vocant alpha poneretur, deinde alterum ut insereretur lambda. audi ipsum: *ὥσπερ οὖν τὸν ὁμοκλεύθον καὶ ὁμόκοιτον ἀκόλουθον καὶ ἄκοιτον ἐκαλέσαμεν, μεταβαλόντες ἀντὶ τοῦ ὁμο* (sic C. Fr. Hermannus *οὖ* vel *ο*, quod codices praebent, scite emendat) *ἄλφα, οὕτω καὶ Ἀπόλλωνα ἐκαλέσαμεν ὃς ἦν ὁμοπολῶν, ἕτερον λάβδα ἐμβαλόντες, ὅτι ὁμώνυμον ἐγίγνετο τῷ χαλεπῷ ὀνόματι.* postrema verba *ὅτι ὁμώνυμα ἐγίγνετο τῷ χαλεπῷ ὀνόματι* Stallbaumius sic interpretatur: quia aequale erat nomen tristi illi et immiti: nam *ἀπολῶν* est interfecturus. in hisce offensioni mihi est modus indicativus, quoniam, cum illa nominum aequalitas nondum commemorata sit neque omnino exstet, subaudienda est enuntiatio hypothetica si alterum lambda non intericeretur. itaque scribendum esse crediderim: *ὅτι ὁμώνυμον ἂν ἐγίγνετο τῷ χαλεπῷ ὀνόματι*, hoc est: quia aequale esset nomen tristi illi et immiti. omissa vero *ἄν* particula nisi certis quibusdam imperfecti temporis indicativis hypotheticis, velut *ἔδει, ἐχρῆν, ἔξῆν, προσῆκεν*, Atticos non uti pervulgatum est.

409 C.

Ἡ δὲ ἀστραπή, ὅτι τὰ ὦπα ἀναστρέφει, ἀναστρωπὴ ἂν εἴη, νῦν δὲ ἀστραπὴ καλλωπισθεῖσα κέκληται. τὰ ὦπα scripturam quam codices plerique omnes habent, quamquam neutrum genus *τὸ ὦπον* nusquum legitur, Bekkerus Stallbaumius Hermannus servant. in quibusdam vero deterioris sane notae libris praeter insolentem illam formam *τὰ ὦπα* etiam usitatae formae *τὸν ὦπα, τὴν ὦπα* et in veteribus editionibus *τοὺς ὦπας* exhibentur. ac Stallbaumius quidem: quaemadmodum, inquit, Graeci *αἱ ὦπες* et *οἱ ὦπες* dixerunt, de quo v. Lobeck. ad Phryn. p. 461., ita Plato etiam tertia usus est forma, cuius exempla fortasse etiam alibi reperientur. quod quidem num recte disputatum atque conclusum sit, equidem ideo nonnihil dubitationis habere existimo, quia *ὤψ* vocabulum ab orationis solutae usu remotum vel maxime proprium est Homeri, apud quem loquendi formulae *εἰς ὦπα ἰδέσθαι* (Il. 9,373. 15,147. Od. 22,405) et *εἰς ὦπα ἐοικέναι* (Il. 3,158. Od. 1,411. 23,107) frequentantur. atqui nihil quicquam caussae erat, cur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Plato, ut ἀστραπή vocabulum ab ἀναστρέφειν ὦπα ductum esse probaret, neglecta forma ex Homero notissima, quam omnes et veteres et recentiores accusativum feminini generis interpretantur, inusitate scriberet τὰ ὦπα. quae cum ita sint, licet codicum auctoritas obstet, τὴν ὦπα pro τὰ ὦπα legendum esse puto.

Quid aut Proclus aut eius epitomator de hac re existimaverit, ignoratur, quia illa scholia tantummodo usque ad paginam 407 pertinent.

411 A.

Socrates Hermogeni petenti, ut, qua ratione φρόνησις, σύνεσις, δικαιοσύνη reliqua huius generis nomina recte imposita sint, explicet, ita respondet: ἐγείρεις μέν, ὦ ἑταῖρε, οὐ φαῦλον γένος ὀνομάτων· ὅμως δὲ ἐπειδήπερ τὴν λεοντῆν ἐνδέδυκα, οὐκ ἀποδειλιατέον, ἀλλ' ἐπισκεπτέον κτλ.

Si quaeris, quid sibi velit illa pellis leonina, Stallbaumius, quasi res certa sit et explorata, haec in medium profert: „asinum narrant leoninam indutum voluisse pro ipso leone haberi ideoque asperos terribilesque ruditus edidisse, donec aliquis, qui et leonem et asinum vidisset, fraudem detegeret et ferox animal fustibus abigeret. v. Aesopi Fabul. 113. et Lucian. Piscator. § 52.“ quae interpretatio ne Schaarschmidtio quidem (die Sammlung der Platonischen Schriften zur Scheidung der echten von den unechten p. 251) offensioni fuit, cum hinc quoque argumentum sumeret, ut Cratylum dialogum a Platone conscriptum esse negaret. ac profecto quod Socrates sese cum asino pelle leonina induto, ad quem docendum non verbis sed fustibus opus esse nemo ignorat, comparat, hoc nescio an Socrate Platonico indignum et illiberale et quod leporis et venustatis fines excedat iocandi genus esse videatur.

Verum tamen dubitare licet, scurrilis illa dicacitas Platoni an interpretibus vitio vertenda sit. quid enim obstat, quominus λεοντῆν non eam pellem leoninam, quam asinus „virtutis expers, verbis iactans gloriam“, ut pro auritulo leonem simularet, induerat, sed notissimum illud Nemeaei leonis spolium intellegamus, quo ornatus Hercules fingebatur? detraxerat autem Alcides pellem leoni, ut sibi pugnanti munimento esset, ut ipsum Theocritus 25,178 narrantem facit:

καὶ ἀμφεθέμην μελέεσσιν,
ἕρκος Ἐνυαλίου ταμεσίχροος ὄφρα μοι εἴη.

in proverbii vero consuetudinem Herculis pellem leoninam venisse, Aristophanes testatur, qui Ran. 45 sq. eundem loquentem inducit:

ἀλλ' οὐχ οἷός τ' εἰμὶ ἀποσοβῆσαι τὸν γέλων,
ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.

Quodsi Clavigeri pellem leoninam h. l. significari statuimus, Socrates haud infacete se cum Hercule comparans ita fere disputat: magnam sane ac difficilem mihi materiam proponis explicandorum scilicet φρόνησις σύνεσις δικαιοσύνη et quae sunt generis eiusdem nominum; verum tamen, quoniam Herculis instar ingentem in me suscepi laborem, nulla re me detereri decet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

412 C.

Καὶ μὴν τό γε ἀγαθόν, τοῦτο τῆς φύσεως πάσης τῷ ἀγαστῷ βούλεται τὸ ὄνομα ἐπικεῖσθαι. ἐπειδὴ γὰρ πορεύεται τὰ ὄντα, ἔνι μὲν ἃ ἀ αὐτοῖς τάχος, ἔνι δὲ βραδύτης. ἔστιν οὖν οὐ πᾶν τὸ ταχύ, ἀλλά τι αὐτοῦ ἀγαστόν. τούτῳ οὖν δὴ τῷ ἀγαστῷ αὕτη ἡ ἐπωνυμία ἐστί, τἀγαθόν. ἀγαθόν unde derivándum sit, Socrates ita exponit, primum ut in boni notione inesse notam admirandi vel mirifici (*ἀγαστόν*) dicat. quandoquidem enim omnia Heraclito auctore semper fluunt, tamen alia velociter alia tarde moventur. atqui (*ἔστιν οὖν*) non omne velox (*τὸ ταχύ*, quod Stallbaumius ex interpretamento ortum esse ratus uncinis inclusit, equidem nequaquam abesse velim) admiratione dignum est, sed tantum aliquid ipsius, *ἀλλά τι αὐτοῦ ἀγαστόν*. quod quale sit, quamvis hic non explicate doceamur, tamen ex Heracliti disciplina ita interpretandum esse crediderim, ut quo quidque plus motus et intellectus ab igne aeterno (*πῦρ ἀείζωον*) acceperit, eo magis admiratione dignum esse affirmetur. itaque illud tantum velox, quod idem admirabile sit, bonum, *ἀγαθόν*, recte vocari vult. quam eandem sententiam p. 422 A hisce verbis repetit: *οἷον νῦν δὴ τὸ ἀγαθὸν ἔφαμεν ἐκ τοῦ ἀγαστοῦ καὶ ἐκ τοῦ θοοῦ ξυγκεῖσθαι.*

Si igitur *ἀγαθόν* vocabulum ex duabus *ἀγαστόν* et *θοόν* partibus conflatum et effectum esse Socrates docet, fieri nullo pacto potuisse constat, ut altera pars *θοόν* silentio praetermitteretur. quare quamvis Bekkero et Stallbaumio repugnantibus pro *τούτῳ οὖν δὴ τῷ ἀγαστῷ* scribendum esse existimo: *τῷ θοῷ οὖν δὴ τῷ ἀγαστῷ αὕτη ἡ ἐπωνυμία ἐστί, τἀγαθόν.*

Quod C. Fr. Hermannus, etsi coniecturae rationem in Praefatione non reddit, eadem tamen, opinor, causa adductus, quam ego modo attuli, *τοῦ θοοῦ δὴ τῷ ἀγαστῷ* scribit, constructio paulo contortior efficitur; neque praeterea haec scriptura ad id, quod in codice Clarkiano legitur *τούτωι οὖ*, propius accedit, quam quod ego proposui. reliquorum vero codium h. l. mirum quantum inter se discrepantium — *τοῦτο οὖ ΓΔΛΠΥ*BCEF HJXlm, *τοῦτο ὦ* mg F, *τοῦτο· ὦ ΞΣ*, *τοῦτο οὖ* G — auctoritas minoris, quam ratio sententiarum nexus habita aestimanda est.

Restat ut, qua ratione Stallbaumius in commentario postrema verba huius loci, quem haud dubie miserando modo depravatum esse dicit, emendasse sibi videatur, breviter commemoremus. me si audis, inquit, corrige ocius: *ἔστιν οὖν οὐ πᾶν, ἀλλά τι αὐτοῦ ἀγαστόν, τὸ θοόν. τούτῳ οὖν δὴ τῷ ἀγαστῷ αὕτη ἡ ἐπωνυμία κ. τ. λ.* ita, mihi crede, germanam habebis Platonis manum. quam quidem scripturam ab eis, quae codices habent, nimis valde recedere in promptu est.

414 BC.

Τέχνη vocabulum proprie idem esse atque *ἐχονόη* h. e. *ἕξις νοῦ*, Socrates hisce verbis probare conatur: *οὐκοῦν τοῦτό γε ἕξιν νοῦ σημαίνει, τὸ μὲν ταῦ ἀφελόντι, ἐμβαλόντι δὲ οὖ μεταξὺ τοῦ χῖ καὶ τοῦ νῦ καὶ τοῦ ἦτα.* quam quidem codicum scripturam, etsi neque Bekkerus neque Stallbaumius neque Hermannus sollicitant, tamen offensione non vacare puto. quis est enim, quin o litteram inter *χνη* tres litteras mediam inseri posse neget? ne

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oedipus quidem reperiat, qua ratione numerus impar — fracto scilicet numero hic locus non est — bipartito distribui queat. hanc ob causam, ut opinor, iam Stephanus *καὶ τοῦ νῦ* bis posuit; quod cum errore factum esse a Stephano Stallbaumius opinaretur, nescio an ipse toto coelo, ut aiunt, erraverit. nec sane difficile est ad intellegendum librariorum oculos a priore *νῦ* ad posterius aberrare potuisse. si autem eiusmodi mendum in libris manu scriptis h. l. inesse persuasum habemus, nihil impedit, quominus, ut sonus genetivorum cumulatorum parum gratus vitetur, etiam *μεταξύ* praepositionem excidisse rati scribendum proponamus: *οὐκοῦν τοῦτό γε ἕξιν νοῦ σημαίνει, τὸ μὲν ταῦ ἀφελόντι, ἐμβαλόντι δὲ τὸ οὖ μεταξὺ τοῦ χῖ καὶ τοῦ νῦ καὶ μεταξὺ τοῦ νῦ καὶ τοῦ ἦτα.*

420 C.

Δόξα vocabulum aut a persequendo (*ἤτοι τῇ διώξει*) ducitur, quoniam homo res investigandas donec mente comprehendat quodammodo persequitur, aut, id quod Socrati magis placet, ab arcus coniectu (*ἢ τῇ ἀπὸ τοῦ τόξου βολῇ* scil. *ἐπωνόμασται*). consimili ratione *οἴησις* et *βουλή* vocabula ita explicantur, ut, cum in altero *οἴησις* in altero *βολή* inesse dicatur, iaculandi similitudo comparetur. deinceps haec leguntur verba: *ὥς περ αὖ καὶ τοὐναντίον ἡ ἀβουλία ἀτυχία δοκεῖ εἶναι, ὡς οἱ βαλόντος οὐδὲ τυχόντος οὗ ἔβαλλέ τε καὶ ὃ ἐβούλετο καὶ περὶ οὗ ἐβουλεύετο καὶ οὗ ἐφίετο.* inconsiderantia, *ἀβουλία*, igitur in eos cadit, qui perinde a proposito aberrent atque ii qui in iaculando metam non attingant.

Quam sententiam etsi Socratem sub verbis modo adscriptis subicere manifestum est, tamen id offensionem affert, quod unum idemque verbum *βάλλειν* intra exiguum brevis enuntiati spatium bis repetitum non eiusdem est significationis; etenim priore loco — *οὐ βαλόντος οὐδὲ τυχόντος* — non iacere est vel iaculari sed collineare, posteriore vero loco — *οὗ ἔβαλλε τε καὶ ὃ ἐβούλετο* — nihil aliud significat quam iaculari vel ictum intendere. quas duas notiones etiamsi *βάλλειν* verbo subici constat, tamen Plato si scripsisset *οὐ βαλόντος . . οὗ ἔβαλλε* i. e. non collineantis id quod ictu petebat haud scio an illepidum aenigma legenti enucleandum nolens atque parum in tempore proposuisset. cuius equidem difficultatis removendae vix aliam iniri posse rationem crediderim, nisi ut scribatur *ὡς μὲν βαλόντος οὐδὲ τυχόντος, οὗ ἔβαλλε* i. e. iaculantis quidem sed non collineantis id quod ictu petebat. *μέν* particulam *οὐδέ* particulae respondere pervulgatum est. si quis autem *μέν* ante *βαλόντος* positum offendat, is velim inspiciat Francisci Passowii Lexicon Graecum s. v. *μέν* B 1. extr.

420 C.

Ταῦτα ἤδη μοι δοκεῖς, ὦ Σώκρατες, πυκνότερον (Stallbaumius et Hermannus *πυκνότερα*, quod codex Clarkianus habet, iure meritoque restituerunt) *ἐπάγειν· τέλος γὰρ ἤδη θεῷ. ἀνάγκην δ' οὖν ἔτι βούλομαι διαπεραῦναι . . καὶ τὸ ἑκούσιον.* haec verba Bekkerus praeeuntibus et prioribus editoribus plerisque et Ficino interprete latino cuncta Hermogeni tribuit. Ficinus autem cum *ἀνάγκην δ' οὖν ἔτι βούλομαι διαπεραῦναι . . καὶ τὸ ἑκούσιον* verba ab Hermogenis per-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sona aliena esse sentiret, licenter vertit: volo tamen adhuc . . necessarium et voluntarium declarari, neglecto videlicet διαπερᾶναι infinitivo activo. quare Stallbaumius et Hermannus illis verbis, quae ταῦτα ἤδη μοι δοκεῖς, ὦ Σώκρατες, πυκνότερα ἐπάγειν enuntiatum excipiunt, rectissime, nisi fallor, Socratem faciunt usum. verum tamen in controversia et versatum et relictum est, quid sibi velit illud τέλος γὰρ ἤδη θεῷ. codices quidem ad unum omnes consentiunt, nisi quod unus F isque a manu recentiori habet θεῶ.

Ac Stephanus quidem cum notae loquendi formulae, quae est σὺν θεῷ vel σὺν τῷ θεῷ vel σὺν θεοῖς h. e. diis faventibus, locum omnino non esse videret, coniecit εἰς τέλος γὰρ ἤδη θέω, nam ad finem iam propero; quod an graecum sit, iure dubitatur. Abreschius in Auctuar. Thucyd. p. 306 lenissima sane mutatione facta scribit θεῶ, quod sic interpretatur: finem iam, quaeso, respice s. impone. ita vero, sive Socratis sive Hermogenis esse verba putas, putida admodum atque insulsa evadit sententia: nescitur enim, utrum utro minus deceat postulare, ut dialogo tandem finis imponatur. Schleiermacherus autem scripturam, quae exstat in libris manu scriptis, non immutandam esse ratus sic interpretatur: der Gott geht eben zu Ende i. e. iam enim instinctu divino adflatuque destitui coeptus sum. ingeniosam sane hanc cogitationem non erat quod Stallbaumius hisce verbis reprobaret: qui sane quam frigidus lusus est nec huic loco satis accommodatus. immo vero facetissime Socrates se Hermogeni nimiam in explicandis vocabulis festinationem exprobranti ita excusat, ut sese iam instinctum divinum deficere dicat. neque vero hic tantum sed etiam alias se numinis quodam adflatu incitatum artificia etymologica in medium proferre adfirmat, velut 396 D κινδυνεύει οὖν (scil. Euthyphron) ἐνθουσιῶν οὐ μόνον τὰ ὦτά μου ἐμπλῆσαι τῆς δαιμονίας σοφίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ψυχῆς ἐπειλῆφθαι, et 428 C καὶ ἐμοὶ σύ, ὦ Σώκρατες, ἐπιεικῶς φαίνει κατὰ νοῦν χρησμῳδεῖν, εἴτε παρ' Εὐθύφρονος ἐπίπνους γενόμενος εἴτε καὶ ἄλλη τις μοῦσα πάλαι σε ἐνοῦσα ἐλελήθει. proxime autem ad Schleiermacheri interpretationem accedunt, quae Socrates p. 409 D de πῦρ vocabulo haesitans Hermogeni respondet: καὶ κινδυνεύει . . ἡ τοῦ Εὐθύφρονός με μοῦσα ἐπιλελοιπέναι. quare etiamsi Socrates alibi (p. 399 A) ab Eutyphrone monitum se atque impulsum, τῇ τοῦ Εὐθύφρονος ἐπιπνοίᾳ, tam mira narrare animi causa contendat, ut verendum sit, nisi caveat, ne sapientior quam fas sit fieri videatur, Schleiermacherus et qui huius rationem assensu suo comprobavit Hermannus h. l. haud temere nec insulse de instinctu divino cogitaverunt. quae cum ita sint, hoc tamen unum obstat quominus assentiar, quod mihi persuadere non possum Socratem, si quidem etiam hoc loco sophistarum sapientiam irridere animum induxisset, id adeo tecta et obscura rei significatione facturum fuisse.

Heindorfius vero quomodo hunc locum, in quo lacunam plurium verborum inesse opinatur, multis verbis additis restituendum proposuerit, longum est referre ac persequi; neque omnino homo doctissimus id agere videtur, ut quid Plato revera scripserit sed quid scribere potuerit doceat. Stallbaumius denique: ego, inquit, lenissima mutatione scribendum duxi τέλος γὰρ ἤδη θέλω sc. ἐπάγειν. quod temere est cor-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ruptum, quia infinitivum ex antecedentibus repetendum esse non perspectum est. quodsi autem sunt, qui eum aegre iterari posse censeant, iis auctor sum, ut cum Astio scribant: *τέλος γὰρ ἤδη ἐπιθεῖναι ἐθέλω.* quamquam vereor, ut hoc additamento opus sit. ita scribi potuisse facile concedo; verum tamen non assequor, qua tandem ratione fieri potuerit, ut librarii ad unum omnes in sententia plana admodum ac perspicua pro *θέλω* scriberent *θεῷ*.

Quae cum ita sint, non acquiescendum esse in lectionibus adhuc propositis existimo. subest autem, nisi egregie fallor, loquendi formula ab usu vulgari paulo remotior *θέω* vel *τρέχω* omisso *δρόμον* obiecto. pro eo enim, quod est *περὶ τοῦ παντὸς δρόμον θέειν* vel *τρέχειν*, etiam elliptice dici *τὸν περὶ τοῦ παντὸς* et *τὸν περὶ τῆς ψυχῆς θέειν* vel *τρέχειν*, Lobeckius Paralip. p. 511 docet. cursus autem proprie ille omnium nobilissimus Olympicus intellegendus est. etenim in omnium ore erat stadium vel curriculum Olympicum, ad quod *στάδιον ἀγωνίζεσθαι, ἁμιλλᾶσθαι, σταδίου δρόμος, σταδιεύειν* similes locutiones proprie referendae sunt. quam late pateat apud veteres metaphorae usus a stadio repetitae, etiam Cicero testatur, cum in libello de Sen. XI,38 exercitationes ingenii curricula mentis appellet. quin etiam sol cursum suum conficiens *ἥλιος τοὺς ἀπὸ ἀνατολῆς μέχρι δύσεως δρόμους σταδιεύων* vocatur (Sext. Emp. adv. Mathem. IX,27; X,67 ed. Fabric. p. 555 et 644).

Tutissimum igitur esse arbitror scribere *τέλος γὰρ ἤδη θέω*, quod sic interpretor: finem enim iam cursus mei conficio, vel ad finem enim iam propero ideoque festinanter procedo; nam *τέλος θέω* elliptice dictum est pro eo quod est *τέλος δρόμου θέω*. quam eandem cursus similitudinem Plato iam paulo ante p. 414 B comparaverat: *ἀλλ' οὐ γὰρ ἐπισκοπεῖς με ὥσπερ ἐκτὸς δρόμου φερόμενον, ἐπειδὰν λείου ἐπιλάβωμαι*, h. e. verum non attendis me extra curriculum labi, sicubi in lubrico versor. sed haec hactenus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf